

CHRISTOPHERVS PROBVS CANCELLARIVS ELECTO-
ris Palatini.



Christopherus honestis parentibus natus, & piè educatus fuit. Is à iuuentute bonis literis incubuit, atq; artium & linguarū magnam sibi notitiam comparauit. postea quoq; animum ad Iuris studia conuertit, & sua diligentia effecit, ut Legum Doctor crearetur. Accesit huic eruditioni morum integritas, & rara animi prudentia. Hæc cum Fridericus Elector Palatinus intellexisset, eum inter suos consiliarios adoptauit, & honesto stipendio exornatum suum Cancellarium cōstituit. Eam functionem is magna dexteritate peregit, atque in primis religionis & literarum studium promouit. talem etiam se exhibuit ut eius lāudes passim celebrarentur. Sæpius etiam Imperij comitijs interfuit, & ob multas animi & corporis uirtutes cunctis gratissimus extitit. Hoc modo etiam 1562 Franckoforti cum suo principe ijs actionibus interfuit, quæ circa Maximilianī Cesaris inau gurationem contigerunt. Hinc factum ut omnibus innotuerit, & meritò hoc loco posteris cognoscendus propositus fuerit. Anon.